

Z. 2960



L
L
T
t



AK. 319

v. Schönberg

Ze
2960

CARMINA ALIQVOT
 IN EXEQVIIS NOBILITATE STEMMATIS,
 PIETATE, SAPIENTIA, ERVDI-
 tione & virtute præstantissimorum virorum, Domi-
 ni HENRICI, IACOBI & VALEN-
 TINI Fratrum à Schönberg, Patrono-
 rum suorum perpetua memoria
 colendorum, scripsit

M. DAVID PRASINVS
 Rondenbergensis.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALL
 (SAALE)

VVITEBERGÆ

EXCVSAIN OFFICINA LAV-
 rentij Schwenck.

1565.

B. 8.

BIBLIOTHECA
 PONICKAVIANA





EPICEDION.

Conditus exigua iacet hic **HENRICVS** Sin vrna,
Proh Schönbergiaca nobile stemma domus.
Cuius acerba tulit cunctis iactura dolorem,
Quotquot alit pingui Misnica terra sinu.
Comis erat, facilis, ciuilis, amator honesti,
Consilij prompta dexteritate potens.
Pectus adornauit diuina modestia, cultus
Oraque matura cum grauitate pudor.
Venales alto despexit pectore plausus:
Degeneres animos arguit aura leuis.
Hic sibi subiectos tranquilla pace regebat,
Exemploque Dei mitis et asper erat.
Onimium felix grauibus respublica pœnis
Comibus et verbis, quando regetur, erit.
En quam dissimili moderantur sceptrum tyranni
Imperio, cædis quos agit atra fames.
Iura cruenta suis figunt, indignaque vulgi
Subijciunt seruo colla premenda iugo.
Cædibus obsaturant animos, hominumque saginis,
Vt lupus abrepta sanguinolentus oue.
Ergo suprema dies fati (sors ista tyranno
Conuenit) hos sicca morte perire vetat.
His **HENRICVS** S erat dispar, duce digna gerebat,
Clementi moderans tradita frena manu.

A ij

Nil

Nil equidem vereor, ne sint præconia nostra
Vera, vel emeritam non habitura fidem.
Quantus pace fuit, tantus quoq; Marte feroci:
Forte sub inuicto pectore robur erat.
Hanc ventura ferent super æthera secula laudem,
Iusticiæq; domi, militiaeq; foris.
Adde quòd addidicit sacrata volumina vatum,
Quemlibet & iustum credidit esse fide,
Non virtute sua nisum sed sanguine Christi,
Cuius nostra redit morte redempta salus.
Hunc gemebunda sibi coniunx deplorat ademtum,
Imbre verecundas vsq; rigante genas.
Attonitas scinditq; comas, mollesq; lacertos,
Cedit & infesta pectora nuda manu.
Luce dolor surgente venit, noctuq; recurrit
Acrior, admota nec releuatur ope.
Nil nisi flere potest, lacrymis nec it imber obortis
Parcior, è iacta quàm niue manat aqua.
Vt tamen effusis lacrymis dolor ipse remisit,
Factaq; sunt planctu brachia lassa suo:
Oscula fert extrema viro, tremulisq; rigenti
De collo manibus flebile pendet onus.
Sic vbi fata vocant socium, dolet orba palumbes,
Nescia legitimi fallere iura tori.
Dumq; vagos reliquæ librant per inania cursus,
Hæc paris vsq; sui funera mæsta gemit.

Irritatq;

Irritatq̄ suis cessantia fata querelis,
Tempora ne vitæ longius ire sinant.
Sapè putat, quo cum sociales egerat annos,
Consortis vultus ante videre suos.
In quo, dum licuit, spes vna resedit, at omnis
Hoc simul extincto, quæ fuit antè, perit.
Ast supra consurge tuos altissima luctus:
Omnibus in rebus debet adesse modus.
Parce Deum lacrymis incessere, parce dolori,
Et capiat finem iusta querela suum.
Sic visum Superis: non hunc tibi casus ademit:
Quælibet arbitrio stantq̄ caduntq̄ Dei.
Ille tuus quondam labenti floruit ævo,
Vixit & haud vlli nobilitate minor:
Si quid id est, primo genus excutiatur ab ortu,
Innumeros inter repperietur auos.
Hæc aliena voces: fateor: maiora sed ipsi
Nomina virtutis conciliauit amor.
Æmulus expressit proauorum gesta, nec vnquam
Esse sepulta fuit passus inerte situ.
Vix stabiles anni puero, vix firma iuuentus,
Exerit vt virtus se generosa patris.
Scilicet incaluit Superum indulgente fauore,
Et sibi per quæuis ardua rupit iter.
Fortunaq̄ prius rimam faciente ruinæ
Impulit, obstaret quod sibi cunq̄ manu.

A iij

Non

Non secus erumpit per apertam nubibus æthram
Quod furit Hesperia fulmen ab arce Iouis:
Terrificosq; sonos flammisq; sequacibus iras
Miscet, & attactu proterit omne suo,
Post varias donec strages multasq; ruinas
Materia reuolet deficiente domum.
Impetus hic animis cum primo nascitur ortu,
Eruitur stimulis acrius inde suis.
Ergò licet tenues corpus vanescat in auras:
Non tamen in tumulto fama iacebit iners.
Illius æternos celebrabit facta per annos,
Noticiamq; vehet serus in ore nepos.
Nunc exangue viri loculo requiescere corpus,
Et clausos oculos, aspice: causa subest.
Vita hominum fragilis, volucrig. simillima somno
Qui velut ignaris adfluit, ire solet. (est,
Hic lætas turbat mentes, pavidasq; serenat,
Gaudia dum dubia datq; negatq; fide.
Falsaq; dum veris permiscet nocte, futuri
Euentus animo spemue metumue facit.
Vita quid est aliud? nisi spes incerta fugaxq;
Hæc vmbra corpus more sequentis abit.
Tristia miscentur lætis: hic vertitur ordo:
Alternantq; suas illa vel illa vices.
Quid caro? seu carnis nostræ quid gloria? fœni
Instar habet viridi luxuriantis humo:

At si

At simul adflârit lethali Sirius astro,
Labitur, & succo deficiente perit.
Ergò quid erigimus sublimi vertice cristas,
Qui cras rosuris vermibus esca damur.
Vertimur in cineres, modò qui cinis ater eramus,
Inq̄ leues auras putre cadauer abit.
Hora quidem furtiua venit, nec noscitur vlli,
Quamq̄ sed extremam, si sapis, esse puta.
Dum videt vmbrosas indagine cingere sylvas,
Et quæ venator retia ponit, aper,
Querit inaccessos linquens sua Mænala saltus,
Possit vt in cauea delituisse sua.
Et quoniam tacitæq̄ plagæ fraudesq̄ patefcunt,
Subdola venantùm præpedit ausa timor.
Tu quoq̄, cui fatis forsan properantibus vso
Crastina supremum clausert hora diem,
Aspice dispositos nullo discrimine casses,
Omnia mors illis sub sua iura rapit.
Fata manent omnes: nec erit spes vlla reuerti,
Quem semel ad Stygias nauita vexit aquas.
Non locus hîc veniæ datur, & nihil acta dolere
Quenq̄ iuuat, rigidi stat grauis vrna Dei.
Ergò pertæsi scelerum meliora sequamur,
Dum licet, & nobis copia plena datur.
Mitis in obsequium Deus est, facilemq̄ roganti
Auxiliatrici numine præstat opem.

Sed

*Sed si distuleris, Iudex procliuus in iram
Qui minus est hodie, cras magis asper erit.
Si quoties nimia peccati mole grauaris,
Hoc sine non, qui te fasce leuabit, erit.
Huius in adflictis prodest tibi gratia rebus,
Si careas illa, postea nullus eris.
Mox sensisset opem spaciola per atria questus
Crimina, qui proprium voce negarat herum,
Ni labefacta fides, Domini male nixa fauore,
Et nisi qui fuerat prætepuisset amor.
Sæpius ille dabat sine voce loquencia verba,
Semiloquos fletu præripiente sonos.
Spectarat nutus Domini vultusq; serenos:
Nutibus adfectus prodidit ille suos.
Ergo rogat veniam (quid non pia vota rogantis
Efficiunt?) cupido plenior illa venit.
Fortè Deus surdas precibus si præbeat aures,
Et facies aliquid si reuuentis habet,
Nec desiste tamen, sed hoc audentius insta,
Neuè relentescat sæpè repulsa fides.
Mollior vt fiat constantibus vsq; morare
Vocibus: admota frangitur ira prece.
Sperne malum, ac ausu vitam meliore gubernes:
Ad veniam culpæ ianua lata datur.
Venturasq; caue semper differre sub horas,
Difficiles aditus nam mora longa facit.*

EPICE.

D
E
F
E
C
T.

Diuidor incolumis veluti qui membra recidit
Corporis, aut cœpit parte carere sui.
Non alius color oris erat, quàm vertice summo
Frons habet, attactu quam noua læsit hyems.
Quæq; fauis pressis, & quarta luce liquatis,
Cogitur ad tepidos cera nouella focos.
Sanguis abit visu, calor ossa trementia linquit,
Et corpus formam funeris intus habet.
Mens tamen vt posito redijt terrore, sopiti
Et Sensus longa conualuere mora:
Exoritur gemitus, qui non sine vocibus errat,
Imbre per attonitas vsq; fluente genas.
Conclamo, scindoq; sinus, tunicamq; pilosq;
Seruorum ad planctus brachia lassus ago.
Singula quid referam? Luctu mœrebat ademtum
Quisq; suo, lacrymas non domus ipsa tenet.
Fratris in HENRICI sic illum funere dicunt
Egressum tectis Inclyta D R E S D A tuis.
Hic, fragiles animi quia mœror adederat artus
Tabuit: Hæc mortis causa duobus erat.
Vt taceam fratrem, fato consumtus eodem
Qui Stolbergiaca clausit in vrbe diem.
Sanguinis vnus dum tres merguntur eodem
Funere, iam plenis cursibus annus abit.
Vulnera quid mentis iuuat in sedata mouere?
Acrior admonitu fit dolor ipse suo.

C

Si no.

Si nocuas ager vetitasq; resumserit escas,
Ars tua successu Phœbe carebit iners.
Et malè vicinis tectis prohibebitur ignis,
Qui propè iam vires cepit habere suas.
Felices animæ cœli regione locatæ,
Vester inextincta laude manebit honos.
Gloria virtutem semper vestigat, & vltro
Inuitam sequitur corpus vt vmbra suum.
Vos vitam exosæ patriam repetistis auitam,
Nos sumus infestis obuia turba malis.
Manibus hoc satis est fratrum. Prius vnde recessi
Me referam & vitæ persequar acta breuis.
Hic ardor puero denis natalibus actis,
Artibus vt diues pectus haberet, erat.
Ergo suis multo surgit velocius annis,
Et discit, puero nondum adhibenda, puer.
Est & in externas, cum vix adolesceret, oras
Actus, & ignotos iussus adire locos.
Leucoris hunc tellus, hunc hospita Gallia vidit
Tangentem fines Sequana terra tuos.
Fratris vbi tumulo solennia munera soluit,
Cui patrium inuidit mors inopina solum.
Ast mores hominum multas vbi vidit & vrbes,
Cum varia rerum cognitione redit.
Tunc quoq; quæ primis dederat natura sub annis,
Ingenij coluit pinguia rura sui:

Euoluit


Euoluit sancti sinuosa volumina iuris
Quicquid habet Iason, Bartole quicquid habes.
Non latet eloquium, non cultæ gratia linguae,
Quæq; fuit roseis suada medulla labris.
Officio doctas proprijs & sumtibus artes
Solertesq; viros iuuat, & auxit ope.
Nunc hedere sordent, omnisq; operata camœnis
Cura nihil præter nomen inane gerit.
Adde quod heroum claro sit sanguine cretus,
Qui rude non hominis pectus inertis habent.
Viuit adhuc virtus pro auorum cassa sepulchri,
Viuit ab exequijs mens generosa patris.
Scilicet hi manibus fortes, ad vimq; parati:
Hæredem virtus repperit illa suum.
Hic genus ornauit propria virtute, sequutus
Semper honorati strenua facta patris.
Victurusq; suos, Lachesis nisi stamina votis
Summa petituris opposuisset, erat.
Vis cadit in sobolem genitoris origine prima,
Naturæq; patrum semina quisq; trahit.
Parua licet magnis conferre: Leonibus orti
Sub nemææ catuli rupe timore vacant.
Non generat fera tygris oues, aquilæue columbas,
Quæ nihil in toto corpore fellis habent.
Ille quidem nunquam sumtis exercuit armis,
Quod sub præualido pectore robâr erat.

C ij

Post



Post vsurus erat (vitam si fata dedissent)
Proq; Dei verbo, pro patrijsq; focis.
Vnde Valentini nomen fatale gerebat,
Namq; foris valuit Martè, togaq; domi.
Pacis amans, aditu facilis, venieq; paratus,
Et qui fulminibus rarò tonabat erat.
Simplicitate bonus, patrij candoris imago,
Quem titulum summos gessit ad vsq; rogos.
Supplicibus lenem natura crearat & ipsis.
Sontibus: Hæc virtus principe digna fuit.
Sic veteres cælum terris petiere relictis,
Romulus his vsus venit in astra scalis.
Sic quoq; post cineres (si quid præstare valebit
Musa) Valentini fama superstes erit.
Omnia sint hominum quamuis adamante reuincta
(Ingenij dotes excipe) mortis erunt.
Iamq; vale, paruumq; tui cape munus amici,
Et tua defuncti molliter ossa cubent.



CARMINA, QVIBVS
Annus, Mensis & dies con-
tinentur obitus singulo-
rum,

HENRICI.

Henrico VIX qVarta fVlt LVX Martis oborta,
FVgt Vt In patros CIVICA teCta poLos.

IACOBI.

QVæ LVX ante t Vas Venit CaLenDas
IVLI, soLe per astra eVnte CanCrl,
Ista fVnere præCoCl IaCob Vs
Prærept Vs perlt hIClaCens arena.

VALENTINI.

(tl
LVX IDVs IVLII seqVlt Vr ter qVIna VaLenz
PræseCVlt qVanDonens tIbl ParCa CoLos.

C iij

DE


DE LEONE NOBILIS
FAMILIÆ
à Schönberg.

Qualis in aduersos collectis viribus hostes
Pro catulis pugnat seuæ Leæna suis,
Lumina figit humo, caudæ dirosq; furores
Verberibus stimulat, tela nec vlla pauet:
Non secus imperij qui tradita frena gubernat,
Sit pater & patriæ cura salusq; suæ.
Afferat & Leges & commoda publica curet,
Prospiciatq; suo pabula sancta gregi:
Seruet & hostili patrios à clade penates:
Officium & nomen nam gerit ipse Dei.
Ergo Leæna datur quibus est commissa potestas,
Hi populum, catulos ut tegit illa, regunt.

TALE FUIT ALPHONSI REGIS
Neapolitani symbolum.

PRO LEGE ET PRO GREGE.

FINIS.





Ze 2960 OK

X2207180



MC







B.I.G.

Farbkarte #13

AK. 319

v. Schönberg

Ze
2960

CARMINA ALIQVOT
IN EXEQVIIS NOBI-
LITATE STEMMATIS,
PIETATE, SAPIENTIA, ERVDI-
tione & virtute prestantissimorum virorum, Domi-
ni HENRICI, IACOBI & VALEN-
TINI Fratrum à Schönberg, Patrono-
rum suorum perpetua memoria
colendorum, scripsit

M. DAVID PRASINVS
Rondenbergensis.



VVITEBERGÆ

EXCVSAIN OFFICINA LAV.

rentij Schwenck.

1565.

B. 8.

